

VIS IUVENIAL

LATINE LOQUIMUR

Sapientia nocere non potest; tempus eae non nocet; nihil eam diminuere potest. Salvete omnes vos, amici, qui per interrete navigatis et ex animo Latinam linguam diligitis. Magno gaudio vobis nostrum opus divulgationis linguae antiquorum Romanorum praebemus. Martinae Francae (Tarenti) sumus discipuli classis primae lycei ad studia humanitatis, quod inscribitur "T. Livius", et hoc anno scholae, MMVIII – MMIX p.C.n., magistro Vito Fumarola, ad effectum perducere ephemericidem vulgandum via interreti volumus.

Scripta, interdum imaginibus exornata, breviter de variis rebus tractant: vobis occasio datur legendi notitias de historia nostri lycei et Martinae Francae, de urbis unde aliqui nostrum ad discendi ludum veniunt, tractationes de quo his temporibus magna contentione disputatur, recensiones de musicis et de pellicula cinematica, consuetudines coquinarias.

Praeterea horoscopus, aenigmata, iucundae facetiae et ludi inserta sunt.

Hoc opus, ad studium delectationemque perfectum, habet hoc propositum ut ostendat etiam hodie vim et facultatem linguae Latinae, exemplo commentariorum, qui per interrete nuntiantur, ut "Nuntii Latini" Finnici et "Ephemeris" Poloniae, quae saepe inspeximus.

Profecto puro sermone non scripsimus, de hac re veniam petimus.

Iucundam lectionem vobis optamus.

Annalisa Carbotti
et
Michaela Avitabile
scripserunt

Ineunte seculo uno et vicesimo lingua Latina utilis est an non? Estne Latina lingua idioma quo homines, etsi nulla conscientia, utantur et hodie an lingua antiqui populi Romani certe et definite mortua? Estne proficuum discipulis discere linguam tanti oneris? An non?

Alii existimant rem obsoletam, quae a nostris moribus aborre, haud aptam ad usus vitae necessarios his temporibus; alii utilem esse tantum Christianae religionis sacris; alii vero Latinas litteras esse fontem et principium nostri cultus atque humanitatis idemque instrumentum quod multum valeat ad exercendas facultates subtiles et cognitiones quae ad Italicum sermonem pertinent.

Profecto, collustrata re aequo animo, lingua Latina non potest haberi elapsa plane e memoria nostrorum aequalium, hodie enim in locutionibus ortis a Latino superest, in verbis novatis, in vocibus propriis iuris scientiae et artis medicinae, in dicendi modis



et dictis, quae adhuc in usu sunt.

Ut non dicam quod in huius aetatis societate humana facta una, quae per interrete itinera facit, adest in multis sitis cum variis coniunctionibus, qui offerunt inter alia ephemeredes, commentarios, circolos loquentes Latine, seminaria, complura incepta parata apud omnes gentes in toto Terrarum orbe.

Utuntur simplici lingua Latina, quae verborum constructionis linearis est et facilis ad intelligendum, dissimilis atque scriptorum optimorum, sed legum grammaticorum obsequens.

Non obliviscendum est, praeterea, cultum humanum civilemque Latinum aluisse per duo mila anna rum ea quae erant in usu vitaque

communi Europae; satis est recordari medium, quae dicitur, aetatem, ardens studium temporis qua humanae litterae sunt restitutae. Praeterea per saecula lingua doctrinae et consuetudinum gentium fuit; scientia locuta est Latine decimo septimo secolo p.C.n. quemadmodum scholae apud universitates studiorum duodecimmo saeculo.

Quam ob causam, re diligenter perspensa, lingua Latina in posterum sermo communis Europaeus potestne fieri?

Quoquo modo se res habet, etiamsi nesciamus utrum haec vera futura sit an ficta cogitatio, tamen possumus sine dubio adfirmare certum progressum Europae gentium in posterum tempus facere non posse quin trahat vitalem umorem ex hereditate patrimonii Latini, cuius inter alia est propria religio humanitatis, quae nostra sententia in humana societate omnium temporum, ab alienari non potest.

Angelus Piccoli
Annalisa Carbotti
scripserunt

DE NOSTRO LYCEO : BREVIS INDAGATIO GENERIS HISTORICI

Nostrum lyceum usque ad hoc tempus pervenit ad annum sexagesimum sextum vitae.

Quomodo res historiae nostri lycei actae sint, omnibus ordine
Continuat ad paginam secundam



Continuat ab pagina prima

expositis, diligenter inquire possunt apud libros annales, qui ad effectum venerunt sunt in annis scholae MCMLII – MCMLIII, MCMLXVIII – MCMLXIX, MCMLXXXIV- MCMLXXXV. Constructio aedifici, in quo habet propriam sedem nostrum lyceum pertinentem ad studia humanitatis, quod nostra aetate plateam amoenissimam ex illis Martinae Francae prospicit, initium cepit a primis annis vigesimi saeculi voluntate doctoris Antonii Bruni in eadem civitate nati, qui privato sumptu operis effectuationi pecuniam suppeditavit.

Aedificium, cui initio nomen Atheneum Bruni inditum est, anno MCMXXIII scholas discipulis gymnasii civitatis potuit aperire.

Postea cum gymnasio lyceum ad studia humanitatis exstitit et anno MCMXL cum reliquis ludis aequiperatum est.

Tandem ante diem tertium Nonas Octobres anno MCMXLI, praeside doctore magistroque Petro Argentina, in lyceorum gymnasiorum regni Italiae ordinem ascitum est; anno MCMXLIII, petente professorum collegio uno consilio, publicorum studiorum Administratio potestatem dedit dedicandae scholae T. Livio. Anno MCMLXI apud eodem aedificio ortum est etiam curriculum studiorum lycei pertinentis ad scientiam, cuius sedes hodie est in loco appellato Pergolo. In praesenti tempore duae sedes, praecipua illa classica et secundaria illa scientialis reguntur ab uno praeside, doctore magistroque Vincentio Monaco.

partecipes sunt, studiorum doctrinæ varia proposita adsequuntur, biblioteca multis instructa libris, artis docendi compluribus subsidiis, aulis scholaribus multimedialibus et officinis frui possunt.

Ineunte prasenti anno scolastico, discipuli sunt circiter numero septingenti, professores centum novem, omnes autem qui sunt administri et scribae, accensi scolastici et qui operantur instrumentis multimedialibus explet numerum undetriginta Per singulos annos numerus discipulorum inclinat ad



DE CULINA PROGREDIENTE AETATE

Facimus nunc saltum in praeteritum tempus ut apud Romanos consuetudines culinarias reperiamus.

Verum si fateri volumus dicendum est Romam cibo primam claram scientiam Europaeam invenisse.

Initio culina Romanorum frugalissima est, post bellum Poenicum secundum tantum abundantia et delicatioribus cibis maxime crescit.

Culinæ Romanae proprium est quod in obsoniis dulcia et salsa alterum alteri succidunt. Nam dapes valde sapide erant, suavibus odoribus et aromatibus immoderate condebantur. Nobis artis coquinariae peritia in miscendis saporibus congruenter posita est; Romanis contra res melior attingebatur cum, addendo unum alteri sapore, alias novus sapor inficiebatur.

Garum erat liquamen quod saepius in conviviis petebatur; exta piscium vel pisces integri per multos dies in muria tenebantur ut sale madefierent. Fructus adeptus ita in varia cribra gerebatur ut genera garii magis magisque perfecta et



M. Gavius Apicius, qui temporibus imperatoris Tiberii vixit, maxime peritus in culina Romanorum fuit; scripsit librum "De re coquinaria" in quo praecpta culinaria varia et studiosa continentur. Ut Seneca scribit, veneno sibi mortem concivit postquam praebendo cenas fabulosas patrimonium profuderat.

Antiquae Romae cives ter in die cibum sumebant: illis mane ientaculum, meridie prandium, vesperi cena existebant.

Primus pastus, parvus et sobrius matutino tempore, similis nostri ientaculi erat: fere in placentis, pane, pomis, caseo, lacte et melle consistebat.

Circiter meridiem, plerumque velociter sine mensa, sumebatur prandium, quod precipue ex leguminibus, ovis duris et olivis compositum erat.

Verum Romanorum culina potissimum cena nitebatur, in qua splendida et copiosa convivia apparabantur.

Nobilibus erat non solum occasio ut cum propinquis et amicis convenienter sed etiam ut viros potentes invitarent et de re publica aut negotiis societatem facerent.

Cena saepe per sex vel septem horas ad multam noctem protrahebatur. Tria tempora principalia comprehendebat: gustationem (olivae, ova, fungi,

continuat ad paginam tertiam

Continuat a pagina tertia

conchylia, olera) cum mulso; primam mensam, quae in quibusdam ferculis cum piscibus, variis generibus carnium (vitulini, suis, bubuli) et leguminibus consistebat; secundam mensam, quae poma viridia et sicca, dulcia ex farina et melle, caseos omnis generis praebebat. Pauperes contra sobrio pastu ex farina, leguminibus et oleo diem peragebant; cibus aptus ad alendum, sed sapor semper idem erat.

Inter alia ferculum Romanum modicissimum pisis instruebatur; illud cum pipere, ligustico, zingibere et vitello coquebatur. Post cocturam pisa oleo et si forte aceto condiebantur; quotienscumque aspera erant, mel addebat.

Hoc ferculum nobis memoriam revocat cibi tantundem sobrii et longae famae,

ad consuetudinem coquinariam Martiniensem pertinet : pasta cum pane contrito, alias vulgari sermone *past pa saratizz*.

Olim Quadragesimae tempore praecipue instruebatur quia Ecclesiae praecpta vetabant nomine carne vesci. Postquam pasta coquebatur, ut suavi sapore esset, apparabatur condimentum panis contritus, qui leviter frigebatur cum apuis et seminibus piperidis acris gustatu.

Modus dicendi vulgari sermone *saratizz* admonet frustula quae inter fabricam materiarium excidunt.

Emily Salvino
Federica Castellana
Fabricia Paroselli



EUTHANASIA : ARGUMENTUM DE QUO MAXIME HODIE DISPUTATUR

Euthanasia est inter maximas disceptationes huius aetatis attinentes ad iudicia moralia pro vita et contentio de eius conformitate iuri quam quae maxime infiammata est.

Euthanasia verbum appellat enim actionem qua vita adducitur ad finem homini qui plerumque est in condicione soporis continui ad evitandas ei ulteriores dolores.

Ut appareat illa electio, qua supra diximus, ita ardua est ut pariat opiniones valde diversas de quibus sint magni ponderis argumenta religiosa sive cogitationes habitu contrario : alii putant euthanasiam esse modum servandi humanam dignitatem et defendendi aegrum eiusque familiam ab inutilibus doloribus; alii autem putant euthanasiam esse facinus contra vitam et mortem a causis naturalibus tantum proficiisci posse. Piores magna ex parte laici sunt, alteri catholici.

Controversum participes facit etiam multos claros viros ephemeridum componendarum artis et in re publica exercitatos, praecipue Ecclesiam catholicam, cuius nota est severa opinio recusationis : illa enim putat euthanasiam probari non posse quod gravior abortu et cellularum confectione sit.

Euthanasia suppeditione medicinarum utilium ad celeriorem mortem effici potest vel curationum intermissione; si corpus est in condicione qua possibile est mori secundum naturam simul ac curationes interrumpuntur, perstare utique, in illo statu, mea sententia, est causa vani cruciatus : in eiusmodi casu aliquis loquitur de pertinacia medendi arte.

Interdum fieri potest ut optio voluntaria aegri exsistat , si conscientius sit vel sui consilii antea

argumentum aut propinquai concedant medicis facultatem parandae euthanasiae si gravi morbo aeger sensu careat.

Ut fieri solet multum tempus agendum est ut euthanasiae petitiones omnibus rebus quae casum propria sunt, lentitudine iuris legisque, variis recusationibus, quae pertinent ad praecpta de morbis, accipientur et perficiantur.

Inter casus propiores maxime controversos Welby, Schiavo et Englano possumus nominare.

Satis constat, utcumque res ceciderit, alicuius partes sequi difficillimum esse quoniam condiciones variae sunt, dolorem afferentem et valde inter se differentes, quae multum prudentiae atque consilii requirant.

Annalisa Carbotti
scripsit



RECENSIO CINEMATICA

TWILIGHT : pellicula genere amatorio facta est in Foederatae Americae Civitatibus Oregon et Washington anno bis millesimo octavo; deprompta est de fabula eodem nomine scripta anno bis millesimo quinto ab auctrice Americana Stephane Meyer.

*Ordinator scaenarum : Catherine Hardwicke
In actus deductrix : Meline Rosenberg
Actores principales : Kristen Stewart et Robert Pattinson*

Pellicula Twilight narrat de amore puerae, cui nomen est Bella, erga Edward, iuvenem eximia pulchritudine et aliquid occultum in se habentem, qui eius amori respondit.

Est unus ex phantasmati

Duo adulescentes locum habuerunt cognoscendi inter se in foeda quadam imbribus urbe, ubi puellae pater vivebat, divortio ab uxore facto, et quo Bella missa est a matre, quae alterum matrimonium contraxerat. Edward est salsus et hominum cogitationes, quasi in libro legat, cognoscit. Velocior leone qui in montibus vivat et erret, talis est Edward ut, nudis manibus usus, rem sustineat quae maxima incitatione feratur et, incredibile visu, ab anno millesimo nongentesimo duodecimeno non amplius senuerit nec umquam moriaturus sit.

Quisnam est re vera Edward?

bus particulari generi, qui a gentibus Slavis sanguinem sugentes nominantur quia viventum sanguinem exsorbere solent.

Edward animo bono est nec exsorbere sanguinem solet, sed tanto Bellae amore captus est ut difficilime indolem vampiri domet, etsi semper sui compos evadat. Adicendum est magnum periculum Bellae imminentem : adventus in illam urbem trium sanguinem sugentium, cui nomina James, Laurent et Victoria sunt, Edward familiae inimicissimum, a quorum crudelitate duobus iuvenibus cavendum est, sed nesciunt quomodo se gerant :

Quidnam eveniet? Quod ut cognoscatur opus erit pelliculam spectari !

Pellicula, mea sententia, pulcherrima est quia duorum iuvenum amori, natura



moribusque dissimillimorum, ut triumphare possit, opiniones praeiudicatas vel difficultates vel pericula adenda sunt.

Praeterea haec pellicula magno exemplo esse potest nostrae aetatis hominibus, qui alienos mores timent vel contemnunt vel potius aliquando oderunt.

Claudius Vinci scripsit

UNDE VENIMUS

Plerique nostrum Martinae Francae nati sumus et vivimus.

MARTINA FRANCA



Martina Franca, ubi quinquaginta milia incolarum vivunt, inter Tarenti, Brundisii Barriique fines sita, ad quadrinventa triginta unum metra super libram maris in Muricibus meridianis orientalibus consurgit, spectans ad vallem Itriam, regionem carsicam, cuius sunt propriae aedes exstructae lapidibus, tectis coni forma, calce dealbatae, appellatae *trulli*.

Anno millesimo trecentesimo decimo a Philippo I, principe Tarenti, ex progenie Francogallica Angoinorum condita est, quam ob rem proximo anno, cum ineat

est, acturi sunt apparatus densi studiis operibusque.

Operae quae pertinent ad publicas divitias nituntur parte tertiaria, agri cultura (vites oleaque maxime), pecuaria, confectionibus textoriis. Multi sunt qui peragunt nostram urbem admirantes et amoenitatem naturae, ut agrum consaeptum municipalem Planellarum, et proprietates aedificandi rationis in pristina urbe ubi angiportus, arcus et domus paretibus dealbatis se implicant cum palatis dominicis et sacris aedibus illius artis generis quod barocum dicitur. Inter quae sunt basilica minor sancti Martini, patroni Martinae, sacrae aedes sancti Dominici, Matris Sanctae Dei montis Carmeli, sancti Francisci; ex illis novissimis excellit ecclesia, Sacrae Familiae dicata, splendida musiva arte Byzantina historiata. Magni momenti est Ducus Palatum, quod aedificatum est altera parte

saeculi septimi decimi, cuius atria exornata sunt a pictore Dominico Carella. Frequentia sunt festa a maioribus tradita et incepta quae pertinent ad culturam, inter quae famam maximam habet in festival omnium gentium Vallis Itriae, quod ad musicam classicam et fabulas melicas intentum est.

Emili Salvino

Friderica Castellana

Fabricia Paroselli

scripserunt



continuat a pagina quarta

**Alii veniunt ad nostram scholam ab
Arborebello, Cisternino et Locusrotundo.**

DE ARBOREBELLO



Embre Encyclopedie, Bruce Coleman, Inc., Paolo Donatori

Arbellum, situm ad quadringenta sedecim metra super libram maris, viginti tribus chilometris a mari Hadriatico, inter septem triones et orientem solem spectans ad Martinam Francam, est parva urbs in parte Barii ubi circiter decem milia incolarum vivunt.

Locus clarissimus est in orbe terrarum et magnopere petitus a peregrinotoribus ob trullos, preaciupas domus quae adsunt intra urbem, mense decembri anno millesimo nongentesimo nonagesimo sexto declaratae commune omnium hominum bonum ab UNESCO. Inter aedes sacras et propter causas religionis et

praestantem peritiam ad architecti artem pertinentem magni momenti est basilica dicata sanctis Medicis, Cosmo Damianoque, in quorum fidem et potestatem cives se permittunt.

Verbi origo mutuata est a pristino nomine nostri loci, qui olim vocabatur *silva aut nemus arboris belli*, quia ad eius possessionem probabiliter regio perennis belli sedes erat aut propter praesentiam arboris praecipue ampliae. Arborbellum ex ultimis municipiis se in libertatem sero vindicavit a feudibus institutis. Anno millesimo septingentesimo nonagesimo septimo mense maio legatio septem delectorum virorum forti animo, obeuentes iracundiam comitis Conversani, convenerunt ad Tarenti regem Ferdinandum IV, ex progenie Borbonia Neapolis, qui forte transiebat per Apuliam, ut significant propria miserabilem condicionem. Ante diem sextum Kalendas Iunias eodem anno rex publicis tabulis decrevit ut Arborbellum nullius imperio feudali teneretur et consequeretur tam diu

Exinde in signis civitatis effigitur magna arbor in cuius ima parte est miles, cuius imago est civitas Arborisbelli, pugnans adversus leonem, qui significat feudi dominum, dum duae columbae, indices libertatis, circa undique volitant.

Lucas Ellecosta
Maurus Comes
scripserunt

LOCUSROTUNDUS



Cum despectus ad planitem orientalem se vertit, maris Hadriatici litora videri possunt.

Ager Cisterniniensis comprehendit nunnulos pagos, sedes actuosas industriosasque, quorum nomina sunt : Caranna, Casalini, Marinelli, Sisto et Figazzano. Sumptus trahuntur ab agrorum cultu, pastione et operibus artificiosis.

Numerus peregrinatorum per singulos annos increbescit propter sedis antiquae res miras, caelum temperatum, aeris salubritatem, deversoria ad recreandum apta, caponas ubi res coquinariae peculiares libenter sumi possunt, adicitur suavitas ciborum loci, aspersi mero appellationis originis inspectae. Crebrae consociationes de arte musica, animi cultura, genere religioso et voluntario munere existunt.

Civitas insignis est Lycei studiorum causa curriculo pertinenti ad animi investigationem, hominum societatem et educandi artem, quod ex finitimiis locis discentes accipit.

Locorotundus, in quo circiter quindecim milia civium incolunt, a forma in orbem circumacta naturae situs nomen accipit et vallem Itriam distinctam trullis et vineis prospicit.

Est civitas maxime proclivis ad agrorum culturam et mercaturam. Consociationis, cui impositum est nomen "Vici Amoenissimi Italiae" particeps est. Inter res miras visendae sunt sedes antiquae (corpus parvarum domuum albarum quae positae sunt in orbibus qui idem centrum habent), ecclesia mater dicata sancto Georgio, quae saeculo octavo decimo orta est, illa Matris Domini Graeca, aedificatio basiliensis saeculo undecimo declarata monumentum patrium, et

continuat ad paginam sextam

CISTERNINUM : AMOENA CLIVOSA CIVITAS



Civitas Cisterninum, quae est in agro Brundisii, ad trecenta nonaginta quattuor metra super libram maris sita est, in prominentia inter Murices, Apuliae cingulum multis collibus ineguale.

Cisterninum, in quo circiter duodecim milia incolarum vivunt, prospectat ad pulcherrimam vallem Itriam inter meridiem et occasum solis , cuius territorium partitur parvis fundis, saepis maceriis lapideis singularibus, ubi vites et varii generis poma coluntur.

Edificia propria huius zonae sunt *trulli* quorum culmen habet talem formam quae videatur cono similis; parva saxa, quae a pristino tempore reperta sunt, illis obtegimentum sunt.

Maria Christina Loparco scripsit

continuat a pagina quinta

et pagi ut Sanctus Marcus, Trito, Tagaro, Serra.

Magni momenti est dies festus patroni sancti Roccii in quo iucunda contentio ignium missilium evenit.

A Iunio ad octobrem ager Locusrotundus fit sedem frequentium statutorum festorum quae sunt occasiones laetitiae et ut degustentur optima temeta regionis et res coquinariae loci, inter quae sunt “*i gnumeredde suffuchete*” : id est parva segmenta carnis quae,



postquam convolvuntur et varie farciuntur, torrentur super carbones candentes.

Denique de re insolita recordanda est : Locorotondo est unus atque solus vicus cuius nomen vulgare valde quinque litteram “o” continet.

Anna Francisca Bonassi scripsit



CARMINA BURANA

Carmina Burana sunt trecentae compositiones scriptae saeculo tertio decimo, inventae et servatae in codice apud monachorum coenobium Buram Sancti Bedicti in Bavaria : ducentae quinquaginta Latina lingua, quinquaginta Germanica vel Latina et Germanica vel Latina et Romanica.

Quorum auctores sunt clerici vagantes, discentes clericales qui, postquam condicionem religiosam deposuerant, errabant per urbes ubi erant studiorum universitates, magna cum licentia inter voluptates et mores libertinos agentes vitam.

Quorum compositionum res sunt vini, seminarum, lusuum, vitae voluptatum laudationes et acris societatis irrisio, quae ad ictum destinat Ecclesiam (maxime pontificem, curiam Romanam necnon monachorum habitus), nobilitatum et militarum graduum mores corrupti et etiam hominum rusticorum usus.

Quamquam argumenta magna parte ad sensum popularem



vulgaremque accommodata sunt, carmina poesis doctae propria sunt; autore enim praediti sunt bonis facultatibus sermonis et artis metricae usu, litterarum Latinarum Christianarumque cognitione, quas eversione iocosa et ridicula saepe imitantur velut in

Missa potatorum. Ex Carminibus Buranis musicus Germanicus Carolus Orff (MCCMXLV –

ad drama musicum – fabulam salticam cui eadem appellatio est, quod anno millesimo nonagesimo tricesimo septimo Francofurti ad Moenum actum est. Quod sequitur est opus e Carminibus Buranis excerptum, tractans quam levia inaniaque sunt humana:

Iste mundus
furibundus
falsa praestat gaudia,
quae defluunt
et decurrunt
ut campi lilia.
Res mundana,
vita vana
vera tollit praemia,
nam impellit
et submergit
animas in tartara.

Angelus
Piccoli scripsit



SCIENTIA SIDERALIS APUD ROMANOS



A Graecis inducta scientia sideralis Romam advenit et procedente tempore magis magisque maximi momenti facta est ut ad posteros traderetur.

Multi circulatores, cum astrologiae triumphum in suam utilitatem converterent, semplices homines fallebant, qua re senatus curavit ut ab Italia eos expelleret. Neque tamen cuncti astrologi scilicet circulatores erant eorumque multi a illustribus familiis ad responsa adhibebantur.

Adventus Romam philosophi Posidonii ex Apamea, quem Rhodi Cicero audivit, scientia sideralis aetatem prosperam signavit, clari viri, C. Julius Caesar, C. Sallustius Crispus et T. Lucretius Carus ei aures praebuerunt et in magno honore eum habuerunt.



prosperae fortunae potestatisque imago est. Poeta Q. Horatius Flaccus autem se monstravit adversus horoscopis cum ei accipere vitam diem ex die sine sollecitudine erga tempus futurum videretur.

Accomodate praeclarum est eius significans dictum "Carpe diem".

Postea etiam imperator Septimius Severus astrologiam comitem omni vita sibi coniunxit; inter cetera enim ille astrorum consilii gratia alteram uxorem invenit. Astrologiae studia contra acriter a imperatore Diocletiano impedita sunt; postea Orientis imperatore Iustiniano evanescunt.





AENIGMATA

Inveni verba infra posita

U	A	R	T	V	L	I	N	H	F	B	E	C	R	V	Y	Q	S
Z	S	Y	C	A	R	M	I	N	A	H	A	P	O	A	M	O	R
A	U	E	H	M	I	U	E	F	H	E	M	N	O	R	T	D	S
D	I	A	R	P	H	C	L	E	V	C	I	C	E	R	O	E	P
E	N	T	Y	H	L	I	M	S	S	Y	L	M	Y	O	L	A	C
L	N	A	S	I	F	N	S	C	U	R	R	A	P	A	C	G	E
P	E	N	E	T	O	E	U	E	L	A	O	Q	N	U	T	R	A
H	S	R	S	R	M	O	I	N	L	O	B	N	V	L	A	I	T
O	U	U	Y	U	A	P	T	N	U	G	A	E	U	I	T	C	X
E	T	H	O	O	T	M	N	I	T	D	L	C	L	S	E	U	E
A	U	T	R	E	E	U	E	N	A	C	I	N	U	T	N	L	T
R	A	O	I	G	I	L	R	I	C	L	M	I	S	U	T	T	E
U	L	C	G	F	D	L	E	B	I	O	C	R	B	Z	I	U	A
T	P	B	I	C	O	E	T	U	H	C	Q	C	V	A	L	R	R
A	T	S	N	G	D	B	S	P	A	E	T	A	I	L	L	A	P
S	O	N	E	M	O	R	U	M	I	T	N	O	T	U	A	E	H
Z	T	E	S	U	S	O	I	R	O	L	G	S	E	L	I	M	S
P	A	C	U	V	I	U	S	E	A	I	D	E	O	G	A	R	T
N	C	Z	H	U	M	A	N	A	E	L	I	T	T	E	R	A	E

TERRENTIUS
 TRAGOEDEIAE
 VARRIO
 NUGAE
 VICTERO
 ADDIPHATO
 ACCIUS
 MILES GLORIOSUS
 CHRYSES
 ORGIAES
 ODI ET AMO
 COTYHURANTIAE
 AMPHITRIO
 DE A GRI
 CULTURAE NNU
 BELIUM
 PACUVIUS
 PALIATAE
 PLAUTUS
 S
 BEFLUM
 POENICUM
 FESTE NNU
 CARMINA
 CATAZO
 ROMA
 SATURAE
 CATULLUS







VERBA CONSERTA:

Lege definitiones et comple verba conserta: in colorata lima reperies nomen clarissimi auctoris Latini

1. Comoedia Terentiana
2. Puella Catulli
3. Qui dixit "Cartagho delenda est"
4. Clara civitas Graeca
5. Patria Ennii
6. Filius Priami



ESTNE HODIE IN USU LATINA LINGUA ?

Inter omnes constat Italicum sermonem ortum esse de Latina lingua; huius rei signa manifesta sunt non solum viris doctis sed etiam communibus loquentibus si mentem intendant ad linguam cotidie adhibitam. Certe, cum inter nos colloquimur, saepe verbis adventiciis, maxime ex origine Britannica-Americanica utimur, multam quoque locutionum eadem derivatione copiam apud ephemeridum scripta et televisionem offendimus.

Sed, nobis saepe inscientibus, contingimus vocabula, dicendi modos, quae oriuntur e nostrorum maiorum lingua.

Quae, cum attente perpendamus, invenimus se offerre verba quae, etsi etiam nunc habent formam Latinam et significationem ab illa profiscentem, sentiuntur iam aequae ac si Italica sint.

Exempli causa : *agenda, alibi, deficit, gratis, habitat, iter, lapsus, placebo, quorum, referendum, transfert, ultimatum, vademecum, virus*.

Praeterea extant in verborum indice et in lingua qua homines utuntur locutiones quae cotidie dictitant ; ecce exemplorum prolatio : *aula magna, aurea mediocritas, captatio benevolentiae, casus belli, condicio sine qua non, deus ex machina, errata corrigere, honoris causa, in medias res, modus vivendi, obtorto collo, ope legis, opera omnia, rebus sic stanti bus, vis comica*.

Dicitur proverbia et sententias esse gentium sapientiam quia, cum hominum mores penitus perspexerint, a maximis sensibus animi humani alimentum hauriunt. Inter multa, quae in usu hodie sunt, proponimus aliqua exempla, quae longe lateque per vulgata sunt : *repetita iuvant, verba volant scripta manent, gutta cavat lapidem, in vino veritas, mens sana in corpore sano, risus abundat in ore stultorum, cedano arma togae, semel in anno licet insanire, absit iniuria verbis, de gustibus non disputandum est, do ut des, homo homini lupus, carpe diem, habitus non facit monachum, nihil sub sole novi*.



Carpe diem!



Dura lex sed lex



De gustibus non disputandum est

Quae supra diximus, nostra aetate declarant vim linguae Latinae, occultam oculis mentis plurimorum, et demonstrant quomodo cultus maiorum per nostram humanitatem suum iter pergit.

Angelica Perta et Tiberius Gnisci scrpserunt

Diurnarii



CLASSIS II C—LYCEUM “ T. LIVIUS” - MARTINA FRANCA

Gratias agimus professorem Vitum Fumarola qui omni cogitatione et cura in ephemeride facienda posuit.

Avitabile Michela	Ellecosta Luca	Paroselli Fabrizia
Bonassi Anna Francesca	Gnisci Tiberio	Perta Angelica
Carbotti Crizia	Leante Stefania	Piccoli Angelo
Carbotti Annalisa	Leone Maurizio	Salvino Emili
Castellana Federica	Loi Erika	Vinci Claudio
Comes Mauro	Loparco Maria Cristina	Zaurino Sabrina

*Veniam petimus a linguae Latinae patribus illisque qui nostram
ephemeridem legent si in aliqua re erraverimus*